



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De electione archiepiscopi Cypri subiecti patriarchae Antiochiae. Capvt  
XXXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

<sup>ANNO  
CHRISTI  
315.</sup> rat aliud præterquam quietem & tranquillitatem ipsorum Persarum, tamen non licet immittere se ad constituendum ordinem ecclesiæ, sed potius in omnibus sint metropolitanis patriarchæ obedientes: & qui contradixerit, Synodus eum excommunicat.

*De creatione patriarchæ Æthiopia, & de potestate eius,  
ac de honore ei habendo in Synodo Græcia.*

### C A P V T   X X X V I .

Vt non possint Æthiopes creare nec eligere patriarcham; quin potius eorum prælatus sub potestate eius sit, qui tenet sedem Alexandriæ. Sit tamen apud eos loco patriarchæ, & appelletur catholicus; non tamen ius habeat constituendi archiepiscopos, vt habet patriarcha; siquidem non habet patriarchæ honorem & potestatem. **Quod** si acciderit vt Concilium in Græcia habeatur, fueritque præsens hic prælatus Æthiopum, habeat septimum locum post prælatum Seleuciæ; & quando facta fuerit ei potestas constituendi archiepiscopos in prouincia sua, non licebit illi constituere aliquem ex illis: & quicumque non paruerit, Synodus eum excommunicat.

*De electione archiepiscopi Cypri subiecti patriarchæ Antiochie.*

### C A P V T   X X X V I I .

Si episcopus Cypri diem suum in hieme obierit, & non potuerint populi propter tempestatem maris mittere Antiochiam, vt patriarcha Antiochenus constituat ipsis archiepiscopum loco mortui, debent scribere ad patriarcham, & petere ab

eo, vt permittat eis constituere quem voluerint; neque prohibebit hoc patriarcha, postquam ad eum scriptum fuerit; sed potius concedat tredecim episcopis, vt congregentur & constituant archiepiscopum loco mortui; ne defunctorum archiepiscopo principio hiemis, sine capite propter tempestatem remaneant, & ne aliquis fortassis ex tredecim episcopis a vita recedat, & non sit archiepiscopus qui constituat episcopum loco mortui; atque ita fiat, vt toto eo anno archiepiscopo careant: ob hanc causam constitutum est hoc; & qui contradixerit, Synodus eum excommunicat.

Attestatur huic Canoni Canon Synodi Ephesinae septima Gratiae. ait enim antiquum morem esse, vt patriarcha Antiochiae ordinationes in Cypro faciat: ordinat enim archiepiscopum Cypri, sine cuius auctoritate non possumt episcopi Cypri constitui, quisque ab ecclesia sua electus, & non ab ecclesia alterius, secundum veteres Canones.

Quid hic rursus excusabunt qui electiones, aut nominationes episcoporum diutius protrahunt, cum Synodus Nicena, ne cuenter posset, vt anno uno Cyprus sine archiepiscopo esset, si ad electionem eius auctoritas patriarchae Antiochiae expectanda esset, censuerit, concedendum esse episcopos Cypri, vt ipsi quem vellent eligerent, ac constituerent archiepiscopum, si per tempestatem hiemis non liceret de electione ad patriarcham referre.

*De ordinatione ministrorum ecclesiae episcopis prohibita  
in aliena diaœcesi.*

### CAPVT XXXVIII.

Can. Nic.  
16. Can.  
apost. 35.

Vt nullus episcoporum in parœcia alterius ordinationes presbyterorum aut diaconorum faciat, exceptis patriarcha & archiepiscopo in locis quæ sub potestate eorum sunt; nec quidquam disponat in aliena parœcia sine licentia proprii episcopi.

D: